PA
6392
G3Z73

# INDEX SCHOLARVM

IN

# VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

**ANNI MDCCCXCIII — MDCCCXCIV**

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

PRAEMISSA EST ERNESTI MAASS

DE GERMANICI PROŒMIO COMMENTATIO.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS IVLII ABEL

MDCCCXCIII.

PA
6399
G3Y73

901172 4

# VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

# GVSTAVVS PESCATORE

CVM

**CONCILIO ACADEMICO**

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Ex quo de 'Phaenomenorum' Germanici compositione consilio tempore quaeri coeptum est, duae potissimum carminis portiunculae, prooemium altera, altera v. 558—560 continens, tractari ab interpretibus consuerunt. Et in prooemio quidem, quod nobis satis videtur perspicuum, enarrando dici nequit quantum ad hunc usque diem et quam variis errandi ambagibus peccatum sit, alteram quam significavimus versuum triadem nuper ex parte saltem recte intellectam esse ab I. Maybaumio in libello academico Rostochiensi '*De Cicerone et Germanico Arati interpretibus*' anno 1889 emisso non sine gaudio animadvertimus. A cuius interpretatione sive supplenda sive emaculanda huius commentarioli initium repetimus, obscuratam prooemii sententiam et argumentum postea, si possumus, declaraturi.

Ita igitur de Capricorni et Aquarii sideribus v. 554—564 Germanicus:

*cochlidis inventor, cuius Titania flatu*
*proelia commisit divorum laetior aetas*
*bellantem comitata Iovem, pietatis honorem,*
*ut fuerat geminus forma, sic sidere cepit.*
*hic, Auguste, Tuum genitali corpore numen*
*attonitas inter gentis patriamque paventem*
*in caelum tulit et maternis reddidit astris.*
*proximus infestas, olim quas fugerat, undas*
*Deucalion parvam defundens indicat urnam.*
*annua concludunt Syriae duo numina Piscis*
*tempora; tunc iterum praedictus nascitur ordo.*

## IV

Verba *Tuum genitali corpore numen attonitas inter gentis patriamque paventem in caelum tulit* de Capricorno prolata attigerunt multi et eo usque etiam usurparunt recte, quod ferente Capricorno (quo horoscopante Augustus natus esse credebatur: Sueton. *Aug.* 94) ad deos gestatum intellexerunt. Verum *genitali corpore* ad utrum pertineret, Augustum an Capricornum, cognovimus haesitatum esse immerito. Itaque (opera ferme superflua), quid verum sit, breviter proponimus. Etenim Capricorni γεννητικὸν σῶμα idcirco significavit poeta, quia, Augustus ut nasceretur, ille effecisse vel — ut Manilii dicta (II v. 507) nostra faciamus — 'in eius ortum fulsisse' existimaretur. Ac iure illinc post Augusti demum obitum Germanici carmen esse conditum collegit Maybaumius. *Maternis* autem *astris* quid sibi vellet, satis nemodum extricavit. Iulium sidus, Veneris planetam, quamvis fortiter Maybaumius elici iusserit, non confidimus fore qui facile assentiatur. 'Astra' enim non 'unum' aliquod sidus neque 'unam' stellam sed sidera uno certe plura indicant. Itaque Kraemerus *(De Manilii qui fertur Astronomicis*, Marpurgi 1890, p. 46 sq.) simul etiam stellam Iulii Caesaris indicari nuntiavit et Ovidium *Metam.* XV v. 839 contulit de Augusto ita loquentem: *aetherias sedes cognataque sidera tanget.* Sunt vero *cognata* Augusti *sidera* Venus planeta et Caesaris stella Ovidio, ac possis eodem per se Germaniceum *maternis astris* referre. Sed possis alteram quoque explicationem periclitari non pariter probabilem, sed Germanico aptiorem. Nam miro enarratores consensu inde ab Hugone Grotio neglexerunt, quod identidem Germanicus in universum et stellas singulas et sidera 'deos' pronuntiavit: v. 178 sqq. *qua cornus flamma sinistri summa tenet, subit haec eadem vestigia dextra Aurigae mediaque ligat compagine divos*[1]), Tauri nimirum et Aurigae siderum; v. 234 sqq. *est etiam propiore deum cognoscere signo, Deltoton si quis (donum hoc spectabile Nili divitibus generatum undis) in sede notabit* (ubi Arietis sidus 'deum' dicit)[2]); v. 440 sq. *haud equidem possis alio contingere signo, quae divis sedes*[3]), scilicet planetis. Habet Germanicus solitarium illud non ex Arato (Aratus enim supra ultraque sidera deos locavit v. 359 sq. οἷον γὰρ κἀκεῖνο θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται λείψανον Ἠριδανοῖο, πολυκλαύτου ποταμοῖο, item — ex Arato — Callimachus in 'Coma Berenicae', quatenus e Catulli v. 69 sq. *sed quamquam me nocte premunt vestigia divom, lux autem canae Tethyi restituit* suspicari licet,[4]) et Avienus v. 1508 sqq. *caelum super aula*

[1]) *binos* pro *divos* coniecit Grotius p. 8a 'Notarum' *commodiore sensu: possit tamen 'divos' retineri, si Iovem et Erichthonium intellegamus.* Fieri hoc in Germanico, nisi forte vim inferre poetae verbis placebit, non posse patet.

[2]) *Putet forte aliquis Germanicum 'propiore deum' d interiecto dixisse . . . sed hoc nimis obsoletum. Dicat alius 'Trium' . . legendum: sed eius vocis prima producitur. Itaque necesse est Platonico more deos interpretari stellas, qua ratione potuit et supra Aurigam et Taurum divos dixisse, aut deum interpretari Arietem, quia erat Neptuni filius, ut in fabulis legimus* Grotius p. 10b.

[3]) Legebat e corrupto codice Leidensi *divisa dies* Grotius (cf. 'Not.' p. 17b).

[4]) In transcursu Ovidii *Fastorum* III v. 500 sqq. expediendorum opportunitate utemur. Ita de Bacchi narratur et Ariadnae amoribus:

*deorum axe adamanteo convolvitur)*, sed e solida Stoicorum[1]) doctrina, de qua copiose Zellerus *Philosophie der Griechen* III 1³ p. 190. 316 et Rohdeus *Griechischer Roman* p. 241¹ disputarunt. Possunt tamen nec pauca nec levia suppleri testimonia. Nam stoica etiam ratio 'Catasterismorum', falso qui dici pergunt Eratosthenis. Capite XXXV (p. 174 R.) Argo ad caelum perfertur, ut αὐτῆς ἡ δόξα ἀγήρατος διαμείνῃ οὔσης ἐν τοῖς θεοῖς, nimirum in sideribus.[2]) Neque absona a 'Catasterismis' haec stoica res, sed aliae quoque in sylloga ista, modo quaeras attente, deteguntur e Stoicorum disciplina coortae. Veluti c. II p. 58 stella polaris (πόλος) dicitur περὶ ὃν δοκεῖ ὅλος ὁ πόλος στρέφεσθαι. Mundum voce πόλος, quae Stoicorum propria est, posteriore loco significat et figura utitur scriptor etymologica, neque licet Westermanno suasore vel cum novissimo editore librariis invitis κόσμος amplius in textu ferre pro πόλος: cf.

---

*occupat amplexu lacrimasque per oscula siccat*
*et 'pariter caeli summa petamus' ait.*
*'Tu mihi iuncta toro mihi iuncta vocabula sumes:*
*nam Tibi mutatae Libera nomen erit.*
*sintque Tuae Tecum faciam monumenta Coronae,*
*Volcanus Veneri quam dedit, illa Tibi.'*

*Caeli summa* Ariadna tenebit, inter deos nimirum relata. Ibi Coronae sidus Ariadnae praesto erit: dummodo Arateam rationem adsumas θεῶν ὑπὸ ποσσὶ φορεῖται. Congruit igitur Ovidiana descriptio non modo cum Aratea verum etiam cum Callimachea de astrorum sede sententia. Alibi de hac re plura disseremus. — Quod Rhianus de sceleste superbienti p. 199 M. (= Stob. *Flor.* IV 34) profert ἶσα Διὶ βρομέει, κεφαλὴν δ'ὑπὲρ ἀστέρας ἴσχει (ita enim pro αὐχένας emendavit Kaibel *Herm.* 1893 p. 57), videtur ex iis declarari posse, quae attulimus: *ad deos usque ultra caelum caput erigit.* 'Evang. Petri' p. 11. 60 Harnack.

1) Ante Stoicos et Platoni et Aristoteli idem placuisse notum est.

2) Meliorem huius rei notitiam assecutis Diodorum (V 49) in eandem Stoicorum sententiam adhibere fortasse licebit. Ille enim Iasionis non mortem (ut ferme fit) sed εἰς θεοὺς μετάστασιν commemoravit. Unus Hyginus *Astr.* II 22 (p. 64 Bunte) Iasionem simul cum Triptolemo dilectos a Cerere et ad Geminorum sidus traductos esse rettulit nescio unde, et 'deos' pro 'stellis' 'sideribusve' fieri potest ut intellexerit. Adde, quod Diodori in Creticis fontes (vel fons) prope ad ea accedunt, quae in catasterismorum litteris de fabulis creticis occurrunt. Adscribimus alterum Hygini locum in hac re gravissimum *Astr.* II 4 (p. 38 B.) sed prout possumus emendatum:

> *Hermippus, qui de sideribus scripsit, ait Cererem cum Iasione* Ilithii *filio concubuisse. Quam ob rem fulmine percussum complures cum Homero dixerunt. Ex his, ut* Epimenides *Gnosius historiarum scriptor demonstrat, nascuntur filii duo, Philomelus et Plutus. Quos negant inter se convenisse. Nam Plutum, qui ditior fuerit, nihil fratri suo de bonis concessisse. Philomelum autem necessario adductum, quodcunque habuerit, ex eo boves duos emisse et ipsum primum plaustrum fabricatum esse. Itaque arando et colendo agros ex eo se aluisse. Cuius matrem inventa miratam ut arantem cum inter sidera constituisse et Booten appellasse. Ex hoc autem Pareanta demonstrant natum, qui de suo nomine Parios et oppidum Parion appellavit.*

Linea 1 codices *letis loetis laetus lecti tetis octae* vario depravationis genere, *Thusci* vel *Corythi* editores interpolabant praepropere. Promptum in Hygini 'Fabula' 270 auxilium: *Iasion, Ilithii filius, quem Ceres dicitur amasse.* Quo inde a Micyllo idem illud *Corythi* infertur. Nonne e graeco potius (Εἰλείθιος vel Εἰλείθυος vel -υς) *Ilithii* explicandum erit et intellegendus heros eo fere nomine insignis, quo appellatur Juppiter Γενέτωρ Λεχεάτης Παιώνιος Ἔπαφος: cf. *de Aeschyli Supplicibus* p. IV sqq. Itaque etiam in 'Astronomia' Hygini conicimus *Ilithii* (vel *-yi* vel *-yis*). Porro ab Hermippo '*Petellides*' (ita enim codices) non diversa habet, ut recte observavit Robertus p. 222⁶. Sed e graeca lingua nomen illud explicari iure idem infitiatus est. '*Epimenides*', quem reposuimus, Gnosius fuit 'Cretica' reliquit inter Hygini ac Diodori fontes numeratur. — Ammianus Marcellinus XXII 8, 4 . . . *Parion, quam condidit Iasionis* ⟨filii?⟩ *filius Parius* Hinc '*Pareas*' Hygini fortasse tollendus erit.

*Aratea* nostra p. 123 sqq. Sed ad Germanici versum redeuntibus, nobis *in caelum tulit et maternis reddidit astris* cum ille scripserit, 'in caelum ad deos Veneris quodammodo socios' nobis intellexisse stoice videtur. Ac patet nunc, quam isti male rem administraverint, qui versus 558—560, quippe quibus peculiare quoddam exhibeatur et proprie Germaniceum, proicere sua sede quam explicando corroborare malebant.[1]) Confestim vero alterum stoicae disciplinae in Germanici carmine vestigium commonstramus. Cum enim de Turibulo versus Arati 407—411

ἀλλ᾽ ἄρα καὶ περὶ κεῖνο Θυτήριον ἀρχαίη Νύξ
ἀνθρώπων κλαίουσα πόνον χειμῶνος ἔθηκεν
εἰναλίου μέγα σῆμα (κεδαιόμεναι γὰρ ἐκείνῃ
νῆες ἀπὸ φρενός εἰσι), τὰ δ᾽ ἄλλοθεν ἄλλα πιφαύσκει
σήματ᾽ ἐποικτείρουσα πολυρροθίους ἀνθρώπους

poetico sentiendi vigore excellant, hinc quid Germanicus? Magnificae 'Noctis' personae universam ille 'naturam' suffecit (quam ieiune!) v. 399 sq.:

*multa dedit natura homini rata signa salutis*
*venturamque notis cladem depellere suasit.*[2]) —

In prooemio desertos nos, quo hucusque utebamur percommode, Maybaumii auxilio videmus. Quapropter quam fieri potest disputabimus accuratissime. Adscribimus igitur Germanici versus, ut edendos putamus:

*ab Iove principium magno deduxit Aratus*
*carminis.*[3]) *at nobis, Genitor, Tu maximus auctor.*
*Te veneror. Tibi sacra fero doctique laboris*
*primitias probat ipse deum rectorque satorque.*
*quantum etenim possent anni certissima signa,*
*qua sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit*
*diversasque secat metas gelidi Capricorni,*
*quave Aries et Libra aequant divortia lucis,*
*si non parta quies Te praeside puppibus aequor*
*cultorique daret terras, procul arma silerent?*
*nunc vacat audacis in caelum tollere vultus*
*sideraque et mundi varios cognoscere motus,*
*navita quid caveat, quid scitus vitet arator,*
*quando ratem ventis aut credat semina terris.*
*haec ego dum Latiis conor praedicere Musis,*
*Pax Tua Tuque adsis nato, Numen, que secundes.*

[1]) Cf. Breysigii ed. p. XI.

[2]) Non percepit Germanici ab Arato differentiam quid sibi vellet Siegius *De Cicerone Germanico Avieno Arati interpretibus* (Halis 1886) p. 27.

[3]) Distinximus ante *at*, non ante *carminis* (ut Breysigius), si quidem Vergilius, versus Germanici amplum, *Ecl.* III v. 60 sq.: *ab Iove principium musae, Iovis omnia plena* etc. Cf. Maybaumius p. 17.

'Genitorem' Germanicus quem diceret, certatim interpretes indagabant. Erat Claudii Drusi, qui Augusti privignus fuit, filius Germanicus ac postea a Tiberio, patruo suo, adoptatus nepos factus est Augusti. Illud vero omnes iure ex Jovis Aratei oppositione desumpserunt, ipsam esse imperatoris alicuius personam in Germanici prooemio intellegendam. Augustum alii, alii Tiberium (de tertio ne cogitari quidem potest) praeoptarunt. Sed qui vellent Augustum, ii ratione usi sunt diversa. Nam fuerunt, quibus versus 558—560, qui de mortuo Augusto sunt et inter deos iamiam relato (dictum de his est superius), libuit expellere (tantam nos satis habemus violentiam notasse); alii non dixerim prudentius attamen in re perdifficili paullo cautius sibi nihil agendum esse rati v. 558—560 et prooemium inter se quomodo conciliarentur omnino dissimularunt. Accedit vero alterum. Primus enim Hugo Grotius p. 2 'Notarum' *improprie* inquit *se 'natum' nominat, Augustum 'genitorem', cum esset hic avus, ille nepos per adoptionem.* Post Grotium item multi iudicabant, quantumvis sit et per se dubitabile, num Augustum avum Germanico vocare licuerit 'patrem', neque idoneis adhuc exemplis probatum.[1]) Quod argumentum strenue Grotianae opinionis defensoribus qui opposuit Maybaumius, eo is sese contulit, ut Tiberium potius, adoptione patrem, a Germanico 'genitorem' invocari v. 2 ediceret magis quam vinceret argumentando. Quid enim? Et v. 558, qui de Augusto est, et v. 16 prooemii idem 'numen imperatoris divinum' eadem allocutione praedicatur, conferas modo quae utrobique leguntur: *Pax Tua Tuque adsis nato numenque secundes* et *hic, Auguste, Tuum genitali corpore numen . . in caelum tulit et maternis reddidit astris.* Proinde unam eandemque certi cuiusdam imperatoris utrobique divinitatem indicari haud cunctanter efficimus. Iam cum posteriore loco Augustus, mortuus ille quidem ac deus, suo ipse nomine appellatus sit, mortuo Augusto ac deo, et non Tiberio vivo, dedicasse 'Phaenomena' (v. 1—725) Germanicum concludimus, ni fallimur, prorsus necessario. Et ne id quidem praetermittas, quod Tiberius haberi 'divus' ipse fastidiebat (Mommsen *Staatsrecht* II[3] p. 755 sqq., O. Hirschfeld *Sitzungsberichte* 1888 p. 837 sqq.): num credibile, in tali causa filium consilio patris et voluntati adversaturum fuisse ac tam manifesto? Defunctum igitur Augustum et iam deum factum prooemio Germanicus, ut fas deos erat,[2])

---

1) Cf. Ovidius *Fast.* I v. 590 de Germanico: *Tuus Augusto nomine dictus avus.*

2) Mos a dis prooemiandi tam insitus est Graecis Romanisque, ut, sicubi derelictus videtur, causam ac rationem exquiri oporteat. Velut Empedocles in carmine physico ad deos Musamque scripsit v. 11 sqq. prooemium, alterum idem fecerat in Apollinem (L. D. VIII 2, 57): at in 'Catharmis' (nam certa traditionis fides) omnem prooemiandi opportunitatem praetermisit. Consulto ille quidem. Quid enim de se ipse Empedocles in 'Catharmis'? χαίρετ'· ἐγὼ δ'ὔμμιν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός, πωλεῦμαι μετὰ πᾶσι τετιμένος, ὥσπερ ἔοικεν (v. 355 p. 76 St.), εἰς δὲ τέλος μάντεις τε καὶ ὑμνοπόλοι [καὶ] ἰητροὶ καὶ (= vel) πρόμοι ἀθανάτοισιν ἐπιχθονίοισι πέλονται· ἔνθεν ἀναβλαστοῦσι θεοὶ τιμῇσι φέριστοι, ἀθανάτοις ἄλλοισιν ὁμέστιοι, αὐτοτράπεζοι, εὔνιες ἀνδρείων ἀχέων, ἀπόκληροι, ἀτειρεῖς: ubi [καὶ] delemus ob quantitatem ἰητροὶ et ὑμνοπόλοι per ἀπὸ κοινοῦ figuram ad μάντεις quoque retrahimus. Neque igitur vatem a poeta distinguit sed coniungit Empedocles. Idem v. 359 sqq.: ἀνδράσιν ἠδὲ γυναιξὶ σεβίζομαι· οἳ δ' ἅμ' ἕπονται μυρίοι, ἐξερέοντες ὅπῃ πρὸς κέρδος ἀταρπός, οἳ μὲν μαντοσυνέων κεχρημένοι, οἳ δ' ἐπὶ νούσων, δηρὸν δὴ χαλεποῖσι πεπαρμένοι ἀμφ'

invocavit, venerabilem avum nepos pientissimus. Et cum gentis imperatoriae conditor esset et princeps Augustus, 'Genitorem' interpretamur ut Venerem 'Genetricem' Iovem 'Patrem' Γενέτορα Γενάρχην interpretandos esse nemo unquam dubitavit. Ita Horatius (si omnino opus exemplis) *Carm.* I 2,50 de Augusto *hic ames dici pater atque princeps* (ubi attulit similia Kiesslingii nostri sollertia), ita ipse de Iove planeta Germanicus fr. III v. 12 sq. *et Leo terribilis sub Te, Pater, ipse repellit instantis morbos.* Quodsi 'Genitorem' de 'divo' Augusto dictum perspeximus, ipsam imperatoris divinitatem in eodem prooemio opperimur aliquo modo significatam: qua omissa indicatione texisset Germanicus de industria veram pulchri carminis sententiam. Hinc est, quod v. 16 primi nos ita distinximus *Pax Tua Tuque adsis nato, Numen, que secundes,* cum antea inde a Grotio omnibus *numen* esset pro accusativo et ad secundandi notionem factitivam traduceretur.[1]) Vocativum vero adnexa *que* copula auctum nequaquam insolenter poeta usurpavit, sed habent talia Augustei quale hoc est Ovidianum *Metam.* VIII v. 560: *adnuit Aegides 'utar' que, 'Acheloe, domoque consilioque Tuo' respondit.* Quae cum ita sint, bis per poematis initium divus Augustus a Germanico compellatur 'Genitor' et 'Numen', tertium v. 558 'Auguste'.

Tandem perspecto carminis principio simul etiam de verborum *Pax Tua* (v. 16) interpretatione constat dudum ab aliis quidem proposita, sed nuperrime ab eodem quem merita saepius laude prosecuti sumus Maybaumio in dubium reiecta p. 28. Tiberii memoriam ille immerito, ut vidimus, ad totum prooemium arcessivit: fallax igitur falsaque, quam in v. 16 induxit, relatio ratioque est a Tiberio petita, neque adiuvat Tacitus *Ann.* II 26: *ergo anno XVI Germanis oppressis e longo tempore*

ἀδύνησι, παντοίων ἐπύθοντο κλύειν εὐηκέα βάξιν. ἐπὶ ante νούσων (sic editiones Laertii) nihili est: reponas ἐπίνουσοι a Clemente oblatum *Strom.* VI p. 754 Pott. παρακολουθεῖν τε αὐτῶι ἔλεγε τοὺς μὲν μαντοσυνῶν κεχρημένους, τοὺς δ' ἐπὶ νοῦσον πιδηρὸν (vel -ὰν) δὴ χαλεποῖσι πεπαρμένους, ubi ἐπὶ νούσοισι post Sylburgium perperam Dindorfius. Debebat ἐπινούσους δηρὸν δή. Praeterea versuum laborat iunctura, cum παντοίων — βάξιν nulla qua opus est copulatione adhaereat praecedentibus, denique genetivus παντοίων est relatione indigens: παντοῖοι δ' novandum videtur. Empedocles igitur sine consueto prooemio ad cives suos inceptavit ὦ φίλοι, οἳ μέγα ἄστυ κατὰ ξανθοῦ Ἀκράγαντος ναίετ' ἀν' ἄκρα πόλευς. Requirunt haec et emendationem et interpretationem. 'Flavus' Acragas fluvius non mons est, ut 'flavus' Tiberis. κατὰ editores dederunt, quamvis inepte sit 'sub flavo Acragante' de urbe dictum. Ergo κάτα scribenda praepositio et ad ἄστυ revocanda. Verum qui κατὰ μέγα ἄστυ (per magnam urbem) iidem non possunt dici ἀν' ἄκρα πόλευς (per arcis excelsa) versari. Proinde ἀν' ἄκρα ὄρεος tentamus, quoniam Agrigentum in monte situm erat. ὄρος digammo instructum fuisse probavit Sophus Bugge *B. B.* III p. 113 e linguis cognatis (Schulze *Quaest. ep.* p. 407). Alioquin ἀν' ἄκρον ὄρεος praeferremus. — V. 366, qui et ipse e carminis initio est, Veritatem Epimenidis resuscitavit Empedocles: ὦ φίλοι, οἶδα μὲν οὖν, ὅτ' Ἀληθείη πάρα μύθοις, οὓς ἐγὼ ἐξερέω (ubi ἀληθείη παρὰ editores). Cf. *Aratea* p. 345.

[1]) Ut Germanico ita Nicandro vocativus non intellectus offecit adeo, ut totum 'Georgicorum' institutum obscuraretur. Saepissime enim per fragmenta Nicander alteram quandam personam (vario servorum genere instructam fr. 72 Schn. = Ath. IX p. 372 E) allocutus est. Idem fr. 74 v. 49 sq. (= Ath. XV p. 684 A) de insectis in papaverum capite gradum figere tentantibus sic exponit: τὰ δ' οὐ βάσιν ἐστήριξαν, οὐδὲ (οὔτε *codex: corr. Wilamowitzius*) τι, παῖ, βρώμην ποτιδεγμένα. Pro παῖ, quod e codicis auctoritate addito solummodo accentu reposuimus, alii aliud coniectabant. Omnium optime Kaibelius intactum παι (sic) illud reliquit. Filii in usum Nicander 'Georgica' composuit!

*pax imperio Romanorum reddita est.* Pax est Augusti, et templo et religione ab Augusto institutis id temporis celeberrima. Ita ante Maybaumium censebatur et abhinc censebitur denuo. Gravius erit fortasse, quod e v. 9 interpolationem redintegrato dedicatorii carminis argumento ex editionibus posse nobis removere videmur. Ibi codicum Breysigianorum pars (*B*[1] *E S A* $V^a$ $V^b$ *g*) exhibet *parta,* pars altera, inter quos Basileensis numeratur, *tanta.* At pepererat Augustus Actiaco proelio quietem orbi, partam praestabat.[1]) Quodsi, cum vi quod positum esse apparet, praeferendum est, *parta* poetae restituimus haud invito.

Absoluta 'Phaenomenorum' (1—725) scriptione sese de planetis sive in altero carmine sive in altero eiusdem operis volumine acturum esse Germanicus v. 440—445 ita pollicitus est:

*haud equidem possis alio contingere signo,*
*quae divis sedes. hinc atque hinc saepe videntur*
*occasus ortusque. neque anfractus brevis illis*
*annosasque vias tardus vix perficit orbis.*
*hoc opus arcanis si credam postmodo Musis,*
*tempus et ipse labor (patiantur fata!) docebit.*

Et consilium poeta illud reapse exsecutus est. Sed de hac re postmodum. Etenim error, priusquam procedamus, Hugonis Grotii confutandus est p. 1 'Notarum', alterum ac diversum a versibus 1—725 opusculum de planetis edere Germanicum tunc voluisse e versibus quos modo attulimus iudicantis. Posse ita per se existimari largimur. Potest vero etiam quispiam sic rem sibi componere, ut quandam alteram eiusdem de caelo operis partem, perscripta iam de fixis sideribus priore portione ac divulgata, aggredi Germanicum instituisse opinetur. Optione data extrinsecus discrimen repetendum erit inferius p. X sq. Causam vero videmur, cur Germanicus omissos ab Arato planetas seorsum tractare aliunde supplendos ipse constituerit, nobis facile repperisse. Superare enim Aratum, nisi fallimur egregie, studuit Germanicus prorsus desperantem plenus fiduciae, modo legas v. 454—461:

οἱ δ' ἐπιμὶξ ἄλλοι πέντ' ἀστέρες οὐδὲν ὁμοῖοι
πάντοθεν εἰδώλων δυοκαίδεκα δινεύονται.
οὐκ ἂν ἔτ' εἰς ἄλλους ὁρόων ἐπιτεκμήραιο
κείνων ᾗχι κέονται, ἐπεὶ πάντες μετανάσται
(μακροὶ δέ σφεών εἰσιν ἑλισσομένων ἐνιαυτοί,
μακρὰ δὲ σήματα κεῖται ἀπόπροθεν εἰς ἓν ἰόντων),
οὐδ' ἔτι θαρσαλέος κείνων ἐγώ. ἄρκιος εἴην
ἀπλανέων τά τε κύκλα τά τ' αἰθέρι σήματ' ἐνισπεῖν. —

1) Cf. Ovidii *Fast.* I v. 709 sqq.: *ipsum nos carmen deduxit Pacis ad aram ... utque domus, quae praestat eam, cum pace perennet, ad pia propensos vota rogate deos* Vide, quae de Ovidio in calce commentarioli disputaturi sumus.

Succedunt versibus 1—725, quibus fixorum siderum terminatur descriptio, in libris Germanici manuscriptis quaedam poetica astronomici argumenti fragmenta ab eodem, si codicum *A P* subscriptionibus (p. 54 Breysig) fides, confecta Claudio Caesare Germanico. Fragmenta illa non in omnibus quidem codicibus — Baehrensii hac in re notata nec certa satis nec credibilia esse experti sumus identidem — at in quibusdam a praecedenti versu 725, in quem pars Germanicei poematis finitur prima, dirempta longiore sunt interstitio. Velut de libro Leidensi De Vries, vir perofficiosus, nobiscum prompta voluntate haec communicavit: *Im Codex Vossianus Q 79 enden Vers 725 des Germanicus auf fol. 92*[r] *Z. 12. Es bleiben auf diesem Blatte* [r] *noch 3 freie Zeilen. Fol. 92*[v] *— 93*[r] *sind ganz leer. Fol. 93*[v] *enthält die Himmelskarte, und erst auf Fol. 94*[r] *Z. 1 fängt an grandine permixtus Aries u. s. w. (Fr. II S. 43 Breysig). Die Angabe bei Baehrens 'PLM' 1 187 zu V. 725 „sine interstitio" ist also unrichtig.* Manifestum igitur dicimus, ipsa codicum quorundam condicione externa et ordine versuum 1—725 cohaerentiam a fragmentorum serie seiungi. Porro titulum istis frustulis nusquam nec praefixum in libris nec postscriptum invenies, nisi quod in Basileensis *A* et Parisini *P* exitu scribae terminato fragmento III (p. 54 Br.) addiderunt: '*Claudii Caesaris. Arati Phaenomena explicit.*' Unde tantum discitur, ad idem quod v. 1—725 opus fragmenta I[a] (v. 1—39) et III — nam fr. I[b] et II omittunt — librarios Basileensem et Parisinum revocare. Quo quasi iacto fundamento pedetemptim cetera procurabimus.

Fr. I[a] (v. 1—39 p. 41 Br.) eosdem complectitur de Solis per Zodiacum migratione versus, qui continuae 'Phaenomenorum' partis primae sunt 531—569. Neque vero Baehrensius tantum, homo operosus sed violentus, sed vel Breysigii accuratio p. XI . XXX Freyio praeeunte (*Mus. rhen.* XIII p. 418 sqq.) e 'Phaenomenorum' descriptione istos versus, etsi cohaerent et inter se et cum ceteris perbene, eiecerunt ac deperditae alicui carminis parti assignarunt (quam et illi et alii mero opinandi arbitrio vocitant 'Prognostica'). Rectissime nuper tandem Maybaumius retinendos suo esse loco illos versus asseveravit, cum praesertim tertia divi Augusti allocutio v. 558 contineatur, sed extricare non valuit, e quo explicandum esset consilio, quod decerpta suo nexu et inter fragmina iterum splendida ista reposita esset Zodiaci descriptio. Effici id poterit, si modo ceterorum Germanici frustulorum originem et naturam cognoverimus.

Fr. III (p. 44 54 Br.) cum alibi tum in *A P S* statim post v. 582, resectis ibi v. 583—725 in quibus de coortibus et cooccasibus agitur, sine ulla divisionis nota vel ob id ipsum male invenitur, quod de quattuor planetarum, Iovis Martis Veneris Mercurii, per Zodiacum itinere et vi (excepto quem primo loco fuisse ipse innuit v. 1 Saturno) complectitur commentariolum. Assolent Romani a Saturno planetarum ordinem inceptare neque aliter concludere atque Germanicus. Exempli instar Avienus

esto insertam 'Phaenomenis' suis de planetis narrationem (v. 1509 sqq.) ita ordinans ut fecisse Germanicum fr. III vidimus: Saturnus Iuppiter Mars (Sol) Venus Mercurius (Luna). Et Germanicum meminimus planetas peculiari carminis parti seposuisse (p. X). Luculenta igitur res: partis illius alterius, quam modo diximus, hoc ipsum fragmentum codices tradiderunt adhuc ferme necopinantibus. Nec tamen defuit qui ante nos quod summum rei est animadverteret, sed Hugoni Grotio (p. 1 'Notarum') dudum repertae rei sed a posterioribus criticis oblitteratae gloriolam ut par est (cf. p. IX) concedimus.

Fr. II (p. 43 sq. Br.) codicibus Leidensi et Bernensi servatum est. Exponitur illic versibus viginti duobus, quae tempestates signis Zodiaci efficiantur, nullo intervallo bene ita continuata v. 23 sqq. oratione:

*haec ut quisque deus possedit numine signa*
*adiungunt proprias vires . torpere videntur*
*omnia Saturno; raros ille exprimit ignis*
*et siccas hiemes adstrictis perficit undis.*
*grandine durantur pluviae, nive grando putrescit*
*et rigor accedit ventis . mitissimus ille.*

Enumeratis igitur duodecim signis planetarum per Zodiacum itinera descripsit a Saturno exorsus. Neque vero ne Saturni quidem viam singula per signa persecutus est excerptor, sed fragmentum haud ita longe ab initio abrupit. Commeminimus vero quattuor reliquos planetas fr. III tractatos, qua illi ratione et quo effectu singula Zodiaci signa pervadant, accurate narrari. Hiante quidem oratione subnectendum tamen esse, ut fere factum est ab editoribus,[1]) fragmentum III v. 1 sqq. ultimo fragmenti II versiculo 28 arbitramur.

Facilius de fr. I[b] (v. 41—55: nam v. 40 e v. 531 interpolatus est) iudicium capessitur. Quo septem primum enumerantur planetae, deinde motus eorum singularis illustratur. Deprompta haec ex eadem illa esse 'Phaenomenorum' parte, quae planetas continebat, obtuenti adparet.

Fragmenta omnia pervestigavimus, ut tuto nunc faciamus summam. Tria e Germanici planetarum expositione relicta hodie sunt; unum fragmentum vidimus ad stellarum fixarum indicem pertinere. Eclogae igitur e toto quodam Germanici poemate astronomico a nescio quo anthologo desumptae supersunt in 'Fragmentis'. Praeterea integram in 'Phaenomenorum' versibus 1—725 tenemus eiusdem carminis partem.

Stellas fixas ex Arato potissimum prompsit Germanicus, sed ut addendo corri-

---

[1]) Cf. Breysigii praef. p. XXX.

gendo resecando, novo etiam prooemio, in multis graeco exemplo fieret dissimilis. Neque convertere Aratum voluit ut M. Tullius sed interpretatus est liberius. Planetas Aratus, cum ipse non habuerit, non potuit ob id ipsum Germanico suppeditare. Proinde diu ac multum haesitavimus, num recte librarii iis fragmentis, quae sunt de planetis, subscripserint *Claudii Caesaris Arati Phaenomena* et tutum iudicamus non delere quidem sed secludere genetivum *[Arati]* ut e vetusta sed falsa coniectura coortum. Nam ante quintum iam saeculum falso illo titulus memoriae Arateae supplemento auctus erat. Legit tunc certe Priscianus (II 417 H.) ac citavit deperditum integri carminis locum: *Caesar in Arato 'cur dirite lingua graeca parum curem potiusque triangula dicam'?* Versus illi cum intra v. 1—725 desiderentur, ubi locum habuerint, certo non constat, sed fingi saltem possunt e planetarum expositione fuisse. Qua re concessa nullum vestigium patet amplius ultra fixa errantiaque sidera aut in 'Phaenomenis' aut alibi excurrisse Germanicum. Nihilo secius 'Prognostica' certatim Germanico et editores et enarratores miro addixerunt consensu, quantumvis de his testes codices ipse denique, ubi de se promittit, sileat Germanicus. Apage Germanici 'Prognostica' (nisi quis forte firmis argumentis demonstraverit)! Quodsi posterioris de planetis partis subscriptioni nomen Arati et auctoritas recte a nobis dempta est, demenda toti erit eadem carmini Germaniceo. 'Phaenomena' potius ille, ut multi, non convertit sed conscripsit, ex parte Aratum partim alios auctores libero secutus iudicio.

Paullo ante Germanicum, vivo etiam tunc Augusto, Manilius persimile sed astrologici argumenti poema confecerat. Ac pluriens ad Manilium spectasse Germanicum vir summus in commentario olim ostendit Iosephus Iustus Scaliger. Nonnulla tamen exempla Scaliger fortuito omisit, velut Germ. v. 71 *clara Ariadnaeo sacratast igne Corona* ~ Manil. V 253 *clara Ariadnaeae quondam monumenta Coronae* (ubi *cara* codices, *clara* ex Arati ἀγαυόν v. 71 emendavit Scaliger in adn.),[1]) German. v. 339 sq. de Sirio *nullo gaudet maiusve minusve agricola et sidus primo speculatur ab ortu* ~ Manil. I 401 sq. *hanc quam surgentem primo cum redditur ortu montis ab excelso speculantur vertice Tauri etc.* Ergo collatis Germanici v. 2 *at nobis, Genitor, Tu maximus auctor* et Manilii I v. 384 sqq. *uno vincuntur in astro Augusto, sidus nostro quod contigit orbi; Caesar nunc terris, post caelo maximus auctor*. Germanico locum Manilianum scribenti obversatum esse perspicimus. Perutile est, uterque quid toto carmine voluerit, contulisse. Ac Manilius astrologiam, puram astronomiam (modo Capricorni 'genitalis' vim et mentionem, ut par est, exceperis Augusti causa, astrologiae fautoris,[2]) adscitam v. 558) Germanicus sectatus est. Qui adeo improbasse dicendus Manilii con-

[1]) E Manilio Ovidius *Fast.* III 513 *sintque Tuae Tecum faciam monumenta Coronae* (Kraemer l. c. p. 61). Cf. p. V adn.

[2]) Cf. Haebler *Astrologie im Alterthum* (progr. Zwickau 1879) p. 23 sq.

silium eo magis, quoniam prooemii v. 13—24 hic sola caeli cognitione totam scientiam caelestem contineri strenue vetuerat:

*iuvat ire per ipsum*
*aera et immenso spatiantem vivere caelo*
*signaque et adversos stellarum noscere cursus.*
*quod solum novisse parum est. impensius ipsa*
*scire iuvat magni penitus praecordia mundi,*
*quaeque regat generetque suis animalia signis,*
*cernere et in numerum Phoebo modulante referre.*
*bina mihi positis lucent altaria flammis;*
*ad duo templa vocor duplici circumdatus aestu,*
*carminis et rerum.*

Iecit Manilius in Aratum sine dubio illud vituperium *quod solum novisse parum est,* astrologiae osorem (etsi in brevi caeli descriptione libro I inserta Arato sese fere addixit auctori: cf. editionis nostrae adnotata), et ex universo carminis instituto vel prooemium formavit ac disposuit. Primum enim Musis Heliconiis sacratum dixit carmen suum novitate insigne. Deinde Augustum invocavit, futurum deum, nisi paratis per illum et pace et ordine otium se atque animum defectura fuisse professus. Denique ad Mercurium, astrologiae inventorem et praesidem, sese convertit, cuius ope effectum esset, ut aeternae leges sortesque e stellis cognoscerentur. Itaque locum suum Mercurio Iuppiter concessit Arateus, ut iuxta Augustum ille locaretur non sine manifesto quodam consilio: *sive mutata iuvenem figura ales in terris imitaris, almae filium Maiae* Horatius *Carm.* I 2, 41 sqq., *ministri Mercurii Maiae* tituli loquuntur Pompeiani. Musae Augustus Mercurius Maniliani carminis quasi propria trias est et tutelaris ideoque tota in prooemio carminis producta. Solent ita antiqui. Ita genuinae 'Theognideorum' syllogae exordio ipse poeta Megarensis Apollinem Dianam Musas adoravit, illos ut deos Megarensium patrios, Musas ut poeta (summa cum concordia haec indigitamenta hodie spuria iudicantur!). Sed de Theognide posthac dicturi sumus. Germanicus a Manilio rediit ad Aratum v. 1 sq., nisi quod pro Iove Arati, tanquam deus hic vellet ipse ac iuberet adeo illud, divum Augustum substituit:

*ab Iove principium magno deduxit Aratus*
*carminis.*[1] *at nobis, Genitor, Tu maximus auctor.*
*Te veneror, Tibi sacra fero doctique laboris*
*primitias . probat ipse deum rectorque satorque.*

---

[1]) Incerti de caelo poetae (an Atacini Varronis?) exordium item a Iove petitum exstat p. 357 Baehr.: *Juppiter omnipotens, caeli qui sidera torques, ore Tuo dicenda loquar.* Varronis fr. 12 p. 334 *vidit et aetherio mundum torquerier axe* etc. (Hiller *Eratosthenis carminum rel.* p. 76) perperam carmini geographico, cuius titulum 'Chorographiam' testes ferunt, attribuerunt editores.

Expressit Germanicei carminis principium in *Ecloga* IV v. 82 sqq. Calpurnius bucolicus (fugit hoc Schenkelii diligentiam) Neronem praedicando:

*ab Iove principium, si quis canit aethera, sumat,*
*si quis Atlantiaci pondus molitur Olympi.*
*at mihi, qui nostras praesenti numine terras*
*perpetuamque regit iuvenili robore pacem,*
*laetus et augusto felix adrideat ore.*

*Docti labori* Germanicei *primitias* in 'Fastorum' prooemio (v. 3 sqq.) attigit ad Germanicum misso et ipse Ovidius cum diceret:[1])

*excipe pacato, Caesar Germanice, voltu*
*hoc opus et timidae dirige navis iter . . .*
*adnue conanti per laudes ire Tuorum*
*deque meo pavidos excute corde metus.*
*da mihi Te placidum: dederis in carmina viris.*
*ingenium voltu statque caditque Tuo.*
*pagina iudicium docti subitura movetur*
*principis, ut Clario missa legenda deo.*
*si licet et fas est, vates,[2]) rege vatis habenas,*
*auspice Te felix totus ut annus eat.*

*Docti principis iudicium* Ovidii 'Fasti' exspectant, cum in eodem litterarum genere Germanicus scriptis 'Phaenomenis' (v. 1—725) gloriam esset adeptus. Verbis *timidae dirige navis iter* (v. 2), etsi in carminis de 'Fastis' comparatione similitudo a re navali sumpta non insolita ceteroquin huic est poetae, nonne id ipsum, quod v. 11 14 profatus erat Germanicus

*nunc vacat audacis in caelum tollere vultus*
*sideraque et mundi varios cognoscere motus,*
*navita quid caveat, quid scitus vitet arator,*
*quando ratem ventis aut credat semina terris,*

aperta Ovidius memoria eleganter revocavit?

---

'Theognideorum' prooemium tetigimus p. XIII. Illud sunt qui totum Megarensi poetae relinquunt, sunt vero etiam qui quasi incompositam fragmentorum congeriem ab hac quae superest sylloga gnomica segregandum esse opinantur. En versus, prout Theognidis aut sunt aut esse nequeunt, discreti:

1) De Avieno prooemii Germanicei imitatore Grotius dixit p. 3ª 'Notarum.'

2) Post *vates* distinximus, ut vocativus esset, non nominativus, quemadmodum cum editores tum ceteri explicabant (Knickenberg *De invocationibus*, Marpurgi 1889, p. 45). Nota haec est poetarum, alexandrinorum potissimum, consuetudo, qua eiusdem personae allocutiones variae inter se varia per disticha seiunguntur.

ὦ ἄνα, Λητοῦς υἱέ, Διὸς τέκος, οὔποτε σεῖο
 λήσομαι ἀρχόμενος οὐδ' ἀποπαυόμενος,
ἀλλ' αἰεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἔν τε μέσοισιν
 ἀείδω . σὺ δέ μοι κλῦθι καὶ ἐσθλὰ δίδου.

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε, πότνια Λητώ,
 φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη,
ἀθανάτων κάλλιστον ἐπὶ τροχοειδέι λίμνηι,
 πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
ὀδμῆς ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη,
 γήθησεν δὲ βαθὺς πόντος ἁλὸς πολιῆς.

Ἄρτεμι θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων
 εἵσαθ', ὅτ' ἐς Τροίην ἔπλεε νηυσὶ θοῇς,
εὐχομένωι μοι κλῦθι, κακὰς δ' ἀπὸ κῆρας ἄλαλκε.
 σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα.

Μοῦσαι καὶ Χάριτες, κοῦραι Διός, αἵ ποτε Κάδμου
 ἐς γάμον ἐλθοῦσαι καλὸν ἀείσατ' ἔπος
„ὅττι καλόν, φίλον ἐστί · τὸ δ'οὐ καλὸν οὐ φίλον ἐστί"
 (τοῦτ' ἔπος ἀθανάτων ἦλθε διὰ στομάτων) . . . . .

Tertiam invocationem esse Theognidis argumento evincitur et testimonio. Credebant enim Megarenses Dianae fanum apud se fecisse Agamemnonem, ἡνίκα ἦλθε Κάλχαντα οἰκοῦντα ἐν Μεγάροις ἐς Ἴλιον ἕπεσθαι πείσων. Recte ita Bergkius addiditque *nam illud leve discrimen, quod Theognis de ipsa expeditione dicere videtur, Pausanias* I 43 *de itinere, quod antea ad heroas congregandos suscepit Agamemnon.* Apparet istis, qui Megarensis Theognidis feruntur, versibus et religionem inesse et fabulam vere Megaricas. Quid igitur? Luculenter origo istius prooemii partis ac fides nonne argumento prorsus comprobatur? Porro testem polliciti Callimachum excitamus (quem qui ante nos produxerunt, uti recte eius auxilio non valebant) schol. Aristoph. *Av.* v. 873 οὐκέτι Κολαινίς] . . Εὐφρόνιος δέ φησιν, ὅτι ἐν Ἀμαρύνθωι ἡ Κολαινίς, διὰ τὸ τὸν Ἀγαμέμνονα θῦσαι αὐτῆι ἐκεῖ κριὸν κόλον ⟨καλουμένη⟩. § ἐπὶ ταύτης δὲ Καλλίμαχος λέγει (fr. 76 Schn.)·

τὴν ὡγαμέμνων, ὡς ὁ μῦθος, εἵσατο·
τῆι καὶ λίπουρα καὶ μόνωπα θύεται.

Relegavit Callimachus, ut apertius non posset, ad Colaenin Theognidis deam (Ἄρτεμις θηροφόνη, θύγατερ Διός, ἣν Ἀγαμέμνων εἵσατο) et non ad Euboicam, quemadmodum p. 119 *Lyricorum* praepropere adnotavit Bergkius. Itaque paullo ante memoriam Callimachi in scholio novam inceptari notam existimamus ac verba ἐπὶ ταύτης ad commune lemma οὐκέτι Κολαινίς pertinere et non ad Euphronii 'Amarysiam' nobis persuasimus. Illud vero novum adhuc est, Megarensium Dianam eodem nomine sacro eadem religione fabula etiam eadem Agamemnonis qua Euboicam excellere, ac petimus indidem documentum, quo deam Euboicam Amaryntho ut in Atticam (Paus,

I 32) et Aulin (IX 19) ita Megara deductam esse appareat. Accedit, quod Calchas Chalcidensis est. Facit momentum, quod ad Euboicae Dianae religionem nota ex 'Iliade' Calchantis persona refertur. Ac simile quid in Nemesi 'Cypriorum' (quae Rhamnusia est) accidisse constat.

Favet Theognidi etiam Aristoteles *Eth. Eud.* VII p. 1243 a 17: ἐνδέχεται γάρ, ὅπερ λέγει Θέογνις· 'σοὶ μὲν τοῦτο, θεά, σμικρόν, ἐμοὶ δὲ μέγα'.[1]) Quarto igitur saeculo traditio antiquior.[2]) —

Firmo structo fundamento primum, quod est de Apolline, poematium accedimus. Idem huius ac prioris carminis argumentum: adorat Apollinem poeta, sibi ut velit esse propitius. Apollo, ut Diana, Megaris publice colebatur. Id vero intererat, quod Apollo (Ἀρχηγέτης) et gentis et urbis habebatur conditor (Paus. I 42). Ne quid dubites, Megarensem Theognis ipse Apollinem bis invocavit (v. 755 sqq. et 773 sqq.). Sed, quae post v. 4 de natalibus Apollinis dicuntur, ea aliena sunt hoc loco, cum apta quattuor istis versibus sit invocatio et ad suum finem pervenerit. Nec tamen novum et per se constans indigitamentum illi sunt versiculi, sed hymni fragmentum ob v. 3 adnexum: quemadmodum in Theogonia Hesiodea nonnulla interpolata sunt. —

Hiulcam esse Musarum Gratiarumque allocutionem nos primi (ni fallimur) animadvertimus. Sed res manifesta, dummodo ita tollas asyndeton, ut positis cancellis sustulimus.[3]) Desunt hodie preces coram Musis Gratiisque pronuntiatae, ne eadem fere ter repeteretur precatio. Defectu perspecto de amisso argumento videndum est. Poeticum enim illud ὅττι καλὸν κτλ. quid ad syllogam Theognideam? Transitus facile pulchre eleganter ad Cyrni personam (v. 19) dearum dicto paratur. Si quid aliud, eius est, qui Cyrno cantabat formoso amasio, illa et ipsa invocatio: Theognidis.

Dabamus in universitate Gryphiensi, Kal. April. 1893.

---

[1]) Imitatur etiam Callimachus *Epigr.* VI Κρεωφύλῳ, Ζεῦ φίλε, τοῦτο μέγα.

